

clarissimum vocat, atque illustrissimum; atque etiam Eusebium, qui virum illustrem laudans, ipsum quoque saepe cum honore citat; quos omnes pariter Blount, ad Diodori commendationem, retulerat. Testimonium, quod nuperus Scriptor Gallus de Diodoro profert, vel potius testem, non testimonium, aut in libris illis, quos desperitos lugemus, aut in apocryphis aliis, quos nullius roboris ducimus, fortassis fuisse, existimamus.

§. X.

Ambroſio Calepino, aliisque, ſive veteribus, ſive recentioribus, de re noſtra ſcribentibus, quæ fides, & quæ auctoritas, tribuenda, oſtenditur.

Ambroſius Calepinus, notissimus Scriptor, quem non tantum opera, quæ omnium manibus teruntur, apprime laudant, verum quoque latissime commendant, & linguae hominum, quas erudit, & voces rerum, quas illustrat; Brutiae tamen genti nostræ parum aut nihil se gratiosum eſſe probavit. Nescimus, an ex ingenio ſuo ſcripferit, an ex aliorum invidia, atque livore; hoc tamen nobis certiſſime conſtat, & ea objectasse contribulibus noſtriſ, quæ olim vulgi ore opponebantur, & illa etiam, quæ uſque tunc nullus hominum commentus fuerat. Et nomen foedat, & gentem dehonestaſ; itaut parum illi fuifſet homines ex moribus offendere, ſi ex vocabulis etiam non laſiſſet. Convicia pro conviciis non reddimus; etiſi poſſemus homini Bergomensi, quæ in Brutios homines acuit,